



Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad
praxim accommodatas

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

Quæstio 22. An teneantur ullo præcepto Parochiani diebus Dominicis &
festis interesse Concioni in propria paræcia, sic ut non satisfaciat qui solas
Regularium Ecclesias frequentat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40873

ra affixum omnes ubique existentes arctare, & afficere, ac si unicuique personaliter fuisset intimatum.

Franciscus Siccardus Sanctæ Romanæ & Vniuersalis Inquisitionis Notarius. Locus † Sigilli.

Anno à Natiuitate D. N. JESU Christi 1667. in dictione quinta, Die vero 7. Maji, Pontificatus autem Sanctissimi in Christi Patris & D. N. D. Alexandri divinâ providentiâ Papæ VII. anno decimo tertio, supradictum Decretum affixum & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum & in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis & consuetis urbis, per me Carolum Melanum ejusdem Sanctiss. D. N. Papæ & sanctiss. Inquisitionis Cursorem.

QUÆSTIO XXII.

An teneantur ullo præcepto Parochiani diebus Dominicis & festis interesse Concioni in propria parochia. sic ut non satisfaciat qui solas Regularium Ecclesias frequentat.

Hæc controversia nostro tempore magnâ partium contentione disceptatur. Agitur imprimis de Cleri secularis templis, & officiis; litigatur de Regularium præcipuis muniis, ac privilegiis. Disceptatur denique de totius populi Christiani immunitate à vinculo præcepti, quo ædes parochiales ad verbi Dei prædicationem frequentare cogantur.

Hinc est quod hæc quæstio sæpius excitata, sæpius sopita, nuper Lovanii, ex tenui scintilla, in novum derepente litterariæ contentionis incendium eruperit. Fomittem huic contentioni subjecit Concionator in templo D. Jacobi, qui

164 Pars 3. tract. 1. De Opinionum probabilitate
qui auditores suos admonuit de reatu peccati,
quem omnes incurrunt, qui in templo propriae
paraciae verbum Dei audire omittunt. Non le-
viter offendit ea denunciatio plerasque Regula-
rium familias, atque extemplo contra hanc do-
ctrinam excusa Pontificum diplomata ac decre-
ta valuis affixerunt, suaque jura ac privilegia
populo praerostis exponere ceperunt. Contra
hos prodiit sine mora libellus inscriptus, Obligatio
audiendi verbum Dei in parochiis, clarè
demonstrata. Huic Demonstratori opposuit vir
eximius ex ordine S. Augustini, Exhibitionem
Canonum, quibus obligationem illam doctissi-
mè oppugnat. Non multo post tempore idem
Demonstrator sub nomine Christophori Phila-
lethis reposuit libellum quem inscribit, Justam
defensionem contra illam Canonum exhibiti-
onem. Sed contra hunc Philalethem apertà fron-
te suam Canonum Exhibitionem novo Respon-
so stabilivit idem Exim. P. Christianus Lupus ex
ordine S. Augustini, edito mense Decembri an-
no 1674. Verùm nec pedem è campo retulit
Philalethes, qui pro sua causa postea vulgavit,
Deductionem Juris Parochialis &c. anno 1675.
Atque ita hæctenus mutuus partium & argu-
mentorum conflictus, ad hujus causæ cogni-
tionem omnium parè animos ac studia concita-
vit. Hic præcipua tantum utriusque partis
argumenta breviter proponens, causæ judi-
cium, prout debeo, aliis integrum relinquo.

Affertores obligationis confluenti ad Con-
cionem propriae paraciae præcipuum causæ suæ
momentum petunt ex verbis Concilii Triden-
tini Sessione 24. cap. 4. de Reformatione. *Me-
neat Episcopus populum diligenter, teneri unumquem-
que parochia sua interesse, ubi id commodè fieri potest.*

ad audiendum verbum Dei. Contendunt enim Concilium dum pronunciat, unumquemque teneri, præcepti vinculum imponere voluisse, unde inferunt nemini licere sic aliena templa frequentare, ut absit à concione suæ paræciæ.

Respondent ex adverso Regulares, per illa verba nullam importari obligationem conscientia, sed tantum aliquam decentiam & honestatem, ut aliquando ad verbum Dei audiendum quisque in propria parochia compareat, præceptum verò incumbere ne quis ex contemptu eam adire negligat. Idque confirmant primò, quia nulla veritatis specie dici potest, quod voluerit Concilium generaliter unumquemque fidelium stricto præcepto adstringere, ut verbo Dei audiendo intersit, multò minus ut debeant omnes in unum paræciæ suæ templum compingi, quod plerumque nec mediam gregis sui partem simul intra sua repagula complecti potest.

Confirmant secundò, quia Concilium discretè addit, *ubi id commodè fieri potest*, quo declarat fidelium oportunitati ac devotioni relictum esse, sive Regularium, sive aliorum conciones frequentare. His autem neque commodum, neque opportunum est, relicto templo viciniore, aut concionatore aliquando præstantiori, aut magis forsàn ad animæ suæ profectum accommodato, ad unicum in tota urbe prædicam, & templum adstringi. Neque refert si dicas, liberum esse, ubi suæ obligationi in parochiali satisfecerint, alia etiam templa frequentare; nam hoc ipsum, cum plerisque nec commodum, nec integrum esse solet, satis demonstrat illam obligationem neque verbis, neque menti Concilii consentaneam videri.

Con-

Confirmant tertio, ex declaratione summi Pontificis Pii V. in Bulla, *Etsi Mendicantium*, datâ post Tridentinum anno 1567. 17. Kal. Junii, quæ sic habet. Fratres mendicantes Missas, & divina officia hujusmodi, etiam in diebus Dominicis vel festivis, etiam antequam Rector Parochialis Ecclesiæ celebraverit, celebrare & facere; & quando eis videbitur; etiamsi tunc in Ecclesia Cathedrali prædicatur, prædicare; ac etiam quoscunque utriusque sexus fideles totius anni tempore illas, & illa, in Ecclesiis Fratrum hujusmodi audire possint; ipsique Christi fideles ullatenus desuper molestari, aut impediri per locorum Ordinarios, seu Rectores Parochialium Ecclesiarum, aut alios quoscunque ullo pacto, causâ, vel occasione non valeant, seu debeant: sed præfati Christi fideles audiendo Missas, & alia divina officia in Ecclesiis Fratrum, hujusmodi diebus Dominicis aut festis, præcepto Ecclesiæ de illis audiendis satisfecisse censeantur

Declarationi adeo manifestæ nihil videbatur posse opponi. Non dubitant tamen aliqui contendere ipsum Pium V. in Constitutione sua: *Romani Pontificis*, diploma illud revocasse. Respondent Regulares, id nullam haberi veri speciem. Siquidem in ea aliud non decernit quam, *Decretum Concilii Tridentini de Approbatione Regularium audiendi confessiones secularium præpositorum facienda, observari debere in omnibus Regularium quorumvis Ordinum etiam Mendicantium: Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis ac nostris litteris prædictis &c.* Hic revocat Pontifex suam Constitutionem, quoad Confessiones secularium non audiendas sine Ordinarii examine, & approbatione. Nihil hoc habet commu-
ne

ne cum præfenti quæstione, quæ est de Con-
 cione, & Missa in Parochiali templo audienda.
 Adducunt tamen adversarii aliam istius diplo-
 matis revocationem per Pii V. successorem Gre-
 gorium XIII. quæ incipit: *In tanta*. Sed hanc
 fuisse publicatam negat Author Analectorum
 cap. 13. affirmat fusè Philalethes in Obligatione
 audiendi &c. cap. 5. pag. 33.

Constitutioni Pianæ addunt Regulares in ean-
 dem sententiam alia Pontificum diplomata: &
 illud Pauli III. *Licet debitum* anno 1549. conces-
 sum Societati Jesu, ubi decernitur, ut omnes
 Christi fideles in Sociorum Ecclesiis conciones,
 Missas, & alia divina officia audire, & Eccle-
 siastica Sacramenta recipere liberè & licitè va-
 leant: *nec ad id, ad proprias Parochiales Ecclesias ac-
 dere teneantur*. Huic verò Constitutioni ne di-
 cas derogatum esse per Conc. Tridentinum,
 obstat Bulla Gregorii XIII. *Ascendente Domino*,
 data anno 1584. ubi de Apostolicæ potestatis
 plenitudine dictæ Societatis quæcunque pri-
 vilegia, facultates, exemptiones, immunita-
 tes, gratiæ, & indulta à prædecessoribus (inter
 quos disertè Paulum III. nominat) concessa,
 approbantur ac confirmantur.

Accedit denique communis Doctorum, qui
 post Tridentinum scripserunt, sensus & inter-
 pretatio, ut Hesselii in decalogum cap. 14. Mo-
 lani ad decal. cap. 9. Bonacinae disp. 5. punct. 2.
 n. 27. Suar. lib. 2. de Rel. cap. 16. n. 6. Azorii,
 Trullench, Molfesii, Leandri part. 3. tract. 2.
 disp. 2. q. 73. apud quem alios longo ordine ci-
 tatos invenies. Quibus addo Theses in ipsa A-
 cademia Lovaniensi præfente Doctore Bajo,
 qui interfuit Tridentino, publicè defensas anno
 1580. & 1569. 24. Martii his verbis: Etsi me-
 lius